

Ad 2^{am}. N. seq. Additam rationem *D.* ut copia sit authentica, debet convenire cum originali in omnibus, siquidem sit merum apographum et in eadem lingua transumptum, *T.* si sit translatum et aliud in idioma versur; *subd.* debet convenire in omnibus etiam minimis, *N.* in substantialibus, et pro indole versionis ac linguae, *C.* Quantumvis vero authenticæ vocabulum alibi intelligatur arctius, et omnimodam conformitatem per se exigere, liberalior tamen ejusdem usurpatio et in usu etiam est, et a Conc. Tridentino hic est adhibita, ut nuper ostendimus.

Ad 3^{am}. N. seq. primam; Cum Ecclesia declarat Vulgatam duntaxat authenticam in his quæ ad fidem et mores pertinent, et facta etiam Bibliorum emendatione, innotuerit consulto immutata esse relicta nonnulla, quæ mutanda videbantur; per hujusmodi declarationem fideles nec inducuntur in errores noxios, utpote quorum nullus in Vulgata est, nec in non noxios ulpote quos authentia non attingit, et monitio data etiam excludit. *secundam D.* sequitur non omnia ad fidei et morum doctrinam spectantia debere credi, *N.* alia illa, de quibus (num. 27.) diximus, *C.*; sed Nego, hæc aut esse revelata, aut ab Ecclesia tanquam authentica fuisse proposita.

Ad 4^{am}. N. seq.; tum quia historiae sæpe sunt libri integri, aut insigniores partes Scripturæ, quæ ex decreto Ecclesiæ aperte pro canonicis habentur: tum quia in his plurima sunt, quæ spectant divinæ voluntatis pietatem et mores. Quin ne nomina etiam quædam locorum, urbium, fluminum, plantarum, aut similia negari facile aut temere possint, prohibet decreti periodus de non rejicienda Vulgata superius exposita.

Inst. 3^o. In Scriptura sacra, prout a Deo dictata, nec levissimus error admitti potest: ergo nec in translatione ejus authentica; præsertim cum, sicut providentiæ Dei est servare ipsam Scripturam puram et integram, sic erit et authenticam ejus versionem præstare immemem.

R. N. Cons. Error, si quis in Scriptura prout a Spiritu sancto dictata foret, reduceretur in Spiritum sanctum, tanquam primarium auctorem; unde nullus hac ex parte admitti potest: error autem versioni insertus nec in Spiritum sanctum reducitur, cum translationis non sit aut dicatur auctor; nec in Ecclesiam, quæ licet versionem statuatur authenticam, hanc tamen declarationem non extendit ad omnia, monetque nonnulla immutata esse relicta, quæ mutanda videbantur; adeoque errores hos non approbat, sed mere permittit. Atque hæc eadem ratio est diversæ providentiæ circa Scripturam autographam et ejus versionem; nam in apographis æque non repugnat inveniri errores, qui tribui debent ex scriptoribus, sicut in translatione librariis vel interpreti.

Inst. 3^o. S. Hieron. Scripturam aut interpretando aut interpretationem emendando non magis dici potest errasse in levissimis, quam nunquam errasse in magnis, ad fidem et mores pertinentibus; cum dotes et adjumenta, quæ præstabant immunitatem posteriorem, aut priorem etiam, aut neutram præstitisse dicenda sunt.

R. Quantæcumque *S. Hieronymi* dotes neutram quidem immunitatem certo, et utramque probabiliter tantum præstabant: probabilius tamen id fecerunt in substantialibus, ad fidei scilicet et morum doctrinam pertinentibus, cum pro rei gravitate acuat etiam industria, in levioribus facilius dormitatio quædam obrepit. Quantumvis vero facultas pro utraque in Vulgatæ auctore

adfuerit; voluntatem tamen omnia ad litteram vertendi nonnunquam defuisse, et assuetudini hominum aliisque causis aliquid esse tributum, et quædam mutanda permansisse immutata, compertum habemus.

32. *Observe I.* Cum in decreto *TRID.* hactenus examinato Vulgata solum cum aliis latinis editionibus comparata declaretur authentica; aperte colligitur, per hanc declarationem nihil derogari authenticæ, quam Græcis Hebræisque fontibus præter Protestantes multi Catholici, et versioni *70* Interpretum contra priores plerique postremi tribuunt. Quare hodiernis etiam horum exemplarium editionibus auctoritatis possessio facile a nobis permittitur, quam certam iis adfuisse (num. 11. et 16.) innuimus, et *Scriptura polemica explicata* pluribus vindicavit. Hanc tamen authenticam imprimis esse duntaxat respectivam, et ultra errores in fidei morumque materia non excludere leviores quascumque mendas, fatentur eruditi plerique omnes, probant lectiones variantes plurimæ, testantur litteræ Tridenti an. 1546. die 24. et 26. Apr. Romæ datæ, quibus Præsides Concilii emendationem etiam Hebræicæ et Græcæ editionis desiderarunt: deinde eandem implicitam tantum et vulgarem esse, non autem judicalem et explicitam, patet ex defectu facti, quo legitimus magistratus de illis aliquid publice edixerit.

33. II. *Nec juvat dicere,* declarationem hujusmodi haud necessariam esse exemplaribus Hebræis et Græcis olim jam probatis: tum quia non constat de antiquissimorum etiam exemplarium probatione et sinceritate; tum quia, etsi constaret, illa a solo usu habetur, adeoque tacitum tantum magistratus legitimi consensum supponit: nec pro versione *70* Interpretum provocare licet ad decretum *SIXTI V.* Romanæ editioni an. 1586 præfixum, quia id quidem editionem hanc jubet ab omnibus recipi et retineri ut utilem ad latinæ vulgatæ editionis et Patrum intelligentiam, non autem ut authenticam. Nisi itaque occurrente editionum discordia error argumentis certis tribui debeat Vulgatæ; hujus lectionem et sensum tueri omnino oportet; utpote quæ et antiquitate, qua punctuationem Hebræi codicis præcedit, et judiciali Ecclesiæ auctoritate, qua solitarie gaudet, majorem fidem mereatur, quam aut ars critica aut hominis privati eruditio conciliare queat.

ARTICULUS V.

An et quo interprete indigeat Scriptura?

34. *Nota.* Scripturam sacram esse fidei regulam, tum ex probata ejus existentia ac divinitate sponte sua sequitur, tum Catholicos inter et Novatores convenit. Hæc porro regula quia rationalis est, non aliter quam per cognitionem seu intelligentiam humano intellectui applicari potest; et quia est fidei divinæ, intelligentia hujusmodi dubia aut falsa esse nequit: adeoque vel ipsa Scriptura sacra clare et perspicue proponere debet credenda; vel interpret requiritur ab errore et fallacia immunis, qui in proponendis obscuritatem dissipet, dubiumque dissolvat.

Hic vero discrepant a Catholicis Novatores; et 1^o quidem aliqui Scripturam sacram universim clarissimam et maxime perspicuam affirmant: alii

2^o obscuritatem admittunt, sed circa Scripturam tantum, et externam, ab ignorantia scilicet linguæ originalis, phraseon et stili scriptorum, rationis temporum, locorum, et antiquorum usuum provenientiem; non autem internam aut sensui Scripturæ et argumento inherenter: rursus et alii 3^o internam quidem Scripturæ obscuritatem fateri non repugnant; sed vel topicam duntaxat et quibusdam in locis, simulque talem, quæ comparatione cum clarioribus aliis facta per ipsam Scripturam elucidetur; vel respectivam solum pro infidelibus, superbis, aut curiosis, minime vero pro fidelibus, humilibus, et lucem divinam postulantibus, utpote quos Spiritus, cuilibet desuper concessus, quem vulgo privatum dicimus, interius illuminet, vel Princeps etiam secularis, præscripta credendi formula, exterius erudiat: alii denique 4^o omnia de obscuritate quæstione, sufficere putant, si quis, quantum ipse ex Scriptura discendo capere possit, credendum sibi decerpant, reliquorum, quæ ipse perspicere nequit, non admodum curiosus aut sollicitus.

Catholici e contra, tametsi Scripturam in nonnullis claram concedant, et fateantur etiam obscuritatem tum topicam per ipsam Scripturam, tum respectivam per magisterium sive internum sive externum, adhibitis maxime sua ex parte dispositionibus, nonnunquam dissipari; statuunt tamen unanimiter Scripturam in multis intrinsece et absolute obscuram, adeoque præter Scripturam, interpretem memoratis dotibus pollentem esse necessarium, qualem esse spiritum privatum aut magistratum secularem perneant. Cum his:

33. *Dico I.* Scriptura sacra in multis est intrinsece et absolute obscura. *Prob.* Illud intrinsece et absolute obscurum est quod vel studio occultatur, vel per se difficile est intellectu aut caliginosum, et ad quod intelligendum etiam fidelibus, piis et humilibus, quantumvis linguæ aliarumque rerum gnaris, necessaria est illustratio superna: sed multa hujusmodi sunt in Scriptura sacra; ut testatur CHRISTUS de suis sermonibus Luc. 8. v. 10. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant;* PETRUS de PAULI epistolis, ep. 2. C. 3. v. 16. *In quibus sunt quedam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant;* Idem de historia Christi baptizati, Ibid. C. 1. v. 19. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco; donec dies elucescat et lucifer oriatur in cordibus vestris:* Item DAVID de lege divina Psal. 118, v. 34. *Da mihi intellectum et scrutabor legem tuam, et v. 135. Faciem tuam illumina super servum tuum, et doce me justificationes tuas;* Discipuli Christi de Scripturis, de quibus dicitur Luc. 24. v. 45. *Tunc aperuit Christus illis sensum, ut intelligerent Scripturas;* Eunuchus de Prophetia Isaïæ, quem cum Philippus interrogasset: *Putasne intelligis, quæ legis?* respondit Act. 8. v. 31. *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Ergo.

Conf. I. Eadem Scripturæ obscuritatem apud Bellarminum et Coccium affirmant Patres plures, ex quibus duos duntaxat proferre juvat, et quidem in iis tantum locis, ubi causas etiam obscuritatis produunt. Primus est S. AUG., qui L. 2. de Doctr. Chr. C. 6. ait: « Multis et multiplicibus obscuritatibus et ambiguitatibus decipiuntur, qui temere legunt: quibusdam autem

locis, quid vel falso suspicentur, non inveniunt; ita obscure quædam dicta densissimam caliginem obducunt: quod totum divinitus provisum esse non dubito, *ad edomandam labore superbiam* » Ibidem Deo providente Scripturas obscuras asserit, *ad intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata plerumque vilescent.* Idem in Psal. 146. v. 6. « Noli accusare aut obscuritatem aut quasi perversitatem Scripturæ. Perversum hic nihil est, obscurum autem aliquid est: non ut tibi negetur, sed ut exerceat accepturum. Ergo quando obscurum est, *medicus illud fecit, ut pulses: voluit, ut exerceceris in pulsando; voluit, ut pulsanti aperiret. Pulsando exerceberis, exercitatus latior efficiaris: latior factus capies quod donatur.* » Ibid. in v. 8.

« Ad hoc ergo ille cooperit cælum nubibus, ut paret terræ pluviam: ad hoc obscura esse voluit dicta Prophetarum, *ut haberent postea servi Dei, quod interpretando influerent super aures et corda hominum, excipientium de nubibus Dei saginam lætitiæ spiritualis.* » Et L. cont. mendac. C. 10. « Quæ propterea figuratis veluti amictibus obteguntur, *ut sensum pie quærentis exerceant, ac ne nuda et prompta vilescent:* quamvis, quæ aliis locis aperte ac manifeste didicimus, cum ea ipsa de abditis eruuntur, *in nostra quodammodo cognitione renovantur, et renovata dulcescunt:* nec invidentur discentibus, quod his modis obscurentur, sed commendantur magis, *ut quasi subtracta desiderantur ardentius, et inveniuntur desiderata jucundius.* »

Alter est S. JOAN. CHRYSOSTOMUS, qui in C. 23. Matth. hom. 44. inquit: « Ratio obscuritatis multiplex est... Primum, *quia Deus alios voluit esse Doctores, alios discipulos...* Deinde obscurata est notitia veritatis, *ut non tam utilis inveniatur, quam non contemptibilis:* contemptibilis enim est, si ab illis intelligatur, a quibus nec amatur nec custoditur. Non ergo abscondita est in Scripturis veritas, sed obscura: *non ut non inveniunt eam, qui quærent eam; sed ut non inveniunt, qui quære eam nolunt:* ut ad illorum quidem gloriam pertineat; qui inveniunt eam; quia desiderarunt eam et quæsierunt et invenerunt: *ad illorum autem condemnationem, qui non inveniunt eam; quia nec desideraverunt eam, nec quæsierunt, nec invenerunt.* »

Conf. II. In Scripturis duo considerari possunt, *res scilicet, quæ dicuntur, et modus, quo dicuntur:* sed ex utroque nascitur obscuritas. Quæ enim sub *rebus* continentur, obscura sunt: 1. mysteria altissima de Deo ejusque operatione, de Trinitate, Incarnatione Verbi, Prædestinatione, Sacramentis, Peccato originali, etc. 2. Prophetiæ de rebus etiamnum futuris, et vaticinia per eventus quidem, sed nobis penitus non perspectos, jam completa; 3. credendorum et agendorum leges et dictamina; de quorum sensu, extensione, obligatione et usu tanta adhuc inter eruditos etiam dissensio: 4. historia; quarum vel materia vel adjuncta vel tempus incerta et dubia manent: quibus accedunt sensuum usurpandorum incertitudo, diversitas scopi, et figurarum multiplicitas.

Quæ autem ad *modum* pertinent difficultates plurimæ oriuntur præter phrases et idiotismos linguis originariis proprios: 1. ex defectu et incertitudine signorum; 2. ex notione varia, ambiguitate et æquivocatione verborum; 3. ex redundantia aut imperfectione vel præpostero ordine sententiarum; 4. ex frequentia troporum et figurarum; 5. ex antilogiis in speciem occurrentibus; 6. ex comparationibus, distinctionibus et interpretationibus per diversimode sententiarum notas adjectis. Unde et ipse LUTHERUS coactus

est dicere in præf. ad Psalmos: « scio esse impudentissimæ temeritatis eum, qui audeat profiteri, unum Scripturæ librum a se in omnibus partibus esse intellectum. » Et apud Aurifabrum in Sympos. « Scripturas sacras sciat se nemo degustasse, nisi centum annis cum Elia, Elisæo, Joanne Baptista, cum Christo et Apostolis Ecclesiam gubernarit. »

36. *Objic.* Scriptura tribuit verbo Dei claritatem absolutè, obscuritatem tantum respective: primum quidem, quia Apostoli Matth. 5. v. 14. dicuntur *lux mundi*; Præceptum Domini Ps. 18. v. 9. *lucidum, illuminans oculos*; Verbum Dei Ps. 118. v. 105. *lucerna pedibus, et lumen semitis*; Mandatum Domini Deuter. 30. v. 11. *non supra nos neque procul positum*: secundum vero, quia in 2. ad Cor. 4. v. 3. scribitur: *Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum; in iis, qui pereunt, est opertum*. Ergo.

R. Ad Arg. D. Ass. Scriptura tribuit verbo Dei claritatem absolute, et obscuritatem tantum respective in aliquibus, C. in omnibus N. vel *subd.* supposita revelatione divina et præmissa declaratione Ecclesiastica, C. sine his, N. Textus allati vel ad rem non faciunt, vel sub hac modificatione sunt intelligendi. Nam 1. textus apud Matth. accipiendus est de luce exemplorum et probitatis, ut explicat v. 11. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*; non autem de luce doctrinæ, quasi nihil ab Apostolis aut scriptum aut traditum sit obscurum. 2. Verba Psalmorum non esse accipienda sine illis conditionibus declarant Ps. 118. v. 18. *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua, et v. 130. Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis*. 5. Locus Deuteronomii vel agit de facilitate implendæ legis divinæ, ut, præter Patrum apud Bellarm. expositionem, manifeste indicat v. 4. *Juxta te est sermo valde in ore tuo et in corde tuo, ut facias illum*: vel agit de facili cognitione solius Decalogi, cujus præcepta tanquam naturalia ante omnem Scripturam a Judæis jam intelligebantur, et per Moysen explicata magis innotuerant. 4. Paulus verbis citatis non indicat nullum post Evangelii prædicationem latere mysterium; sed rationem reddit cur multi Judæorum adhuc non credant: nempe quia, ut prosequitur, *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, etc.*

Inst. 1. PATRES asserunt Scripturam cuique apertam, nec indigam Interpretis. S. AUG. quidem L. 2. de Doct. Chr. C. 9. scribit: *In iis, quæ aperte in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresque vivendi, spem scilicet et charitatem*: S. CHRYS. autem hom. 3. de Lazar. *Cui enim non manifesta, quæcumque in Evangelio scripta sunt? quis autem audiens beatos esse mites, beatos misericordes, beatos mundos corde, cæteraque hujusmodi, desiderabit præceptorem, ut aliquid eorum discat quæ dicuntur? quin et signa, miracula, historiarum, nonne cuivis nota manifesta que sunt?* Et hom. 3. in 2^{am} ad Thess. *Quam ob rem opus est concionatore? omnia clara et plana sunt ex Scripturis divinis*. Ergo.

R. Superiorem distinctionem hic repetendam docent tum testimonia eorundem Patrum superius laudata, tum contextus. AUG. enim l. c. præmittit: *Prima observatio est nosse illos libros, et si nondum ad intellectum, tamen vel mandare memorie, vel omnino non incognitos habere*; et subjungit: *Tum vero in ea, quæ obscura sunt, aperienda et discutienda pergendum*. Similiter CHRYSOST. subdit primo loco: *Quod si non poteris assiduitate lectionis invenire,*

quod dicitur, accede ad sapientiozem, vade ad doctorem; et loco secundo: Nosti, quæ clara sunt; quid de obscuris rogas? mille historie sunt in Scripturis, dic mihi unam ex illis. Sed non dices. Prætextus sunt ista et inania verba; nempe quibus multi torporem suum in lectione sacra excusare contendeant, ad quem excutiendum S. Doctor his amplificationibus utitur.

Inst. 2. Argumentum, distinctio et usus Scripturæ probant ejus claritatem. Nam 1. summa Scripturæ continetur in præceptis Decalogi, Symbolo, Oratione Dominica, et Sacramentis: sed hæc omnia illustrantur apertis Scripturæ testimoniis: ergo Scriptura etiam debet esse aperta. 2. In eo differunt vetus et novum Testamentum, quod vetus feste Isaia C. 29. fuerit liber signatus, novum vero sit apertus; cum Apoc. 5. Agnus, qui occisus est, librum aperuerit et solverit signacula: ergo saltem novum Testamentum est clarum. 3. Non probatur notius per minus notum, sed contrarium fit juxta axioma Philosophicum: sed omnes dogmata fidei probant per Scripturam: ergo hæc debet esse notior, adeoque clara.

R. N. Ass. Ad ejus prob. 1^{am}. T. M. inprimis N. min. cum alias nullæ jam circa hæc capita restarent cum Hæreticis controversiæ. Deinde N. Cons. quia permissa quantumvis illa Scripturæ summa, hujusque claritate, nihilominus in mysteriis, prophetiis, canticis canticorum, aliisque tenebræ remanerent. Ad 2^{am} N. A. vel D. In eo differunt, quod Vetus Testamentum sit liber signatus tam quoad sententias quam quoad figuras; et novum sit liber apertus quoad figuras quidem, non autem quoad sententias, C. opposite quoad omnia, N. Quamvis umbræ figurarum in V. T. obscurantes, per N. T. lucem et complementa rerum sint discussæ; utrumque tamen Testamentum retinuit suum velamen quoad multas sententias. Ad 3^{am} D. M. Non probatur notius per minus notum notitia verborum, quæ stat in perspicuitate sententiæ, N. notitia veritatis, quæ in certitudine dictorum consistit, C. Hoc sensu dogmata fidei probantur demonstratione Theologica ex Scripturis; quia notius est, verum esse, quod habetur in verbo Dei, quam quod asseritur a Patribus vel Doctoribus, licet obscuriora sint Scripturæ verba, quam Patrum et Doctorum sententiæ, suis illa commentariis illustrantium.

37. *Dico II.* In dubiis Scripturæ solvendis sola Scriptura non sufficit; sed datur vivi interpretis et judicis necessitas. *Prob.* Multa in Scripturis sunt obscura, ut probatum est (num. 35.): multa etiam sunt controversa, ut constat experientia, tam circa ipsum Scripturarum canonem, quam circa textum Scripturæ intelligentiam. Sed neque pro illis obscuritatibus exponendis, neque pro his controversiis decidendis Scriptura sola sufficit. Quoad primum enim vel textus clariores adsunt, qui obscuros illustrare queunt; ut circa obscuritatem ex rebus ortam manifestum est; vel si clariores adsunt, eorum tamen collatio factu est difficilis; et facta etiam omnem obscuritatem non tollit, ut Patrum sententiæ supra relatæ, et orthodoxorum cum Hæreticis ac Hæreticorum inter se vigentes controversiæ loquuntur. Quoad secundum autem, inprimis de canone sacrorum librorum Scriptura nihil edicit, neque signum aliquod externum prodit pro uno potius libro a Novatoribus admissio, quam pro altero ab iis rejecto: si quis autem liber divinitatem suam enuntiat, nisi aliunde constet divinitus eum inspiratum, tam parum probat se divinum, quam parum id præstat Alcoranus Mahometis,

qui se missum de cœlo dicit: ad canonem autem Judæorum vel Christianorum prioris ætatis qui provocat, jam a solius Scripturæ criterio discedit.

Deinde vero pro intelligentia controversi textus, nec Scriptura sensum determinat, nec comparatio textuum causam decidit, nec regulæ hermeneuticæ qualescumque controversiam finiunt; cum Hæretici suum sibi errorem in Scripturis perspicere affirmant, et adjumentis illis omnibus adhibitis repugnare veritati pergant. Ergo in Scripturæ dubiis sufficere Scriptura sola nequit, sed datur vivi interpretis ac judicis necessitas, sicut nempe lis de hæreditate cernenda ex solo testamento obscuro et a litigantibus ad suæ causæ patrocinium adducto, sine interpretis et judicis sententia, finiri non potest.

Conf. Ortis de lege ac fide atque ex Scriptura quæstionibus, Scriptura jubet et exemplis docet, ad vivum interpretem ac judicem esse recurendum. Alterum liquet ex Deuter. 17. v. 8. *Si difficile atque ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter causam et causam, lepram et lepram, et iudicium videris verba variare, surge et ascende ad locum quem elegerit Dominus, veniesque ad sacerdotem et iudicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis etc.* Et ex 2. Paralip. 19 v. 10. *Ubi cumque questio est de lege, de mandato, de cærimoniis, de justificationibus, ostendite eis.* Alterum ex Matth. 2. v. 4. ubi HERODES congregans omnes principes Sacerdotum et scribas populi sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur; et ex Act. 15. v. 6. et 7. ubi quibusdam postulantis, ut gentiles ad fidem Christi conversi subicerentur circumcissioni et legi Mosaicæ, convenerunt Apostoli et Seniores videre de verbo hoc; cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit etc. Item ex historia ecclesiastica; unde constat nullam hæresin per solam Scripturam fuisse damnatam, nullamque causam absque vivorum iudicum sententia terminatam fuisse.

38. *Objic.* Scriptura jussu et factis docet in dubiis esse recurendum ad Scripturam: Sic ISA. 8. v. 20. jubet ire Dominus ad legem magis et testimonium; Joan. 5. v. 39. Christus Judæis ait: *Scrutamini Scripturas*; de Beroensibus autem Act. 17. v. 11. narratur, quod ad prædicationem Pauli susceperint verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent. Ergo.

R. ad Arg. D. Scriptura jussu et factis docet recurendum esse ad Scripturam aliquando et alicubi, sc. ubi est clara, C. semper et in omnibus, *subd.* illam vel ut medium licitum præferendo illicitis, vel ut utile adjungendo aliis, C. illam statuendo ut medium unicum aut sufficiens, N. Aliud testimonia allata non evincunt. Secundum priorem enim comparisonem 1^{um} esse accipiendum docet versus præcedens: *Cum dixerint ad vos; quærite a pythonibus et a divinis, qui strident in incantationibus suis: numquid non populus a Deo suo requiret?* Præterea ex contextu hic sensus solus sequitur: relinquit insanas illorum superstitiones, Deo solo contenti; qui plane huc est impertinens.

2^{um} est potius contrarium, siquidem *scrutamini* sumatur in Indicativo, ut græca latinaque dictio permittit, versus sequens innuit, et cum CYRILLO apud MALDON. plures sentiunt; cum hunc faciat sensum: Vos quidem scrutamini Scripturas; sed quia non recipitis testimonium Joannis, nec creditis

miraculis Christi, nec auditis verbum Patris, obcæcati estis et non creditis. Si vero sumatur in Imperativo, utile quidem non autem sufficiens medium est Scriptura; cum hic non ad eam solam, sed simul v. 33. 36. 37. ad tria proxime memorata et neglecta Judæi remittantur.

3^{um} sistit nobis Beroenses vel ante, vel post susceptam jam fidem Christi? si 1^{um}, ut Lorinus sentit, scrutando Scripturas motiva credibilitatis de divinitate Christi ad trutinam revocarunt; quod catechumeno necessarium est, quin fidelis jam ad idem teneatur: si 2^{um}, ut textus ipse indicat, scrutatores Scripturarum non hic egerunt iudicio definitionis, sed iudicio discussionis, ad proficiendum scilicet in declaratæ jam a Paulo veritatis cognitione; ad quem scopum non inutilem concedimus Scripturam.

Inst. 1. Eadem non admittit interpretationem hominum; sed ipsa se, instituta textuum collatione, satis declarat: hinc CHRISTUS Joan. 5. v. 34. ait: *Ego autem non ab homine testimonium accipio*; et sequeretur alias fidem nostram pendere ab intelligentia humana, cum tamen ad Ephes. 2. v. 20. dicatur: *superædificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum*; AUG. autem L. 2. de Doctr. Chr. C. 6. scribit: *Nihil fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperitur.* Ergo.

R. N. Ass. Ad ejus prob. 1^{am}. *N. Cons.* Allatus textus excludit tantum necessitatem testimonii humani, et quidem in materia singulari de divinitate Christi, quam Prophetarum oracula, Christi prodigia et Patris vox apud Jordanem abunde probaverat; non item ejus consortium et utilitatem, cum constet, Joannem Bapt. et Apostolos divinitus constitutos fuisse hujusmodi testes.

Ad 2^{am} D. seq. Fides nostra quoad substantiam penderet ab intelligentia humana, N. quoad explicatiorem modum, *subd.* ab intelligentia mere humana, N. simul divina, C. Nihil equidem credimus, nisi verbum Dei scriptum aut traditum; ideoque fides nostra stat superædificata fundamento Apostolorum et Prophetarum: sed hoc verbum nec certo cognoscimus, nec intelligimus, nisi proponente Ecclesia, cujus auctoritas non est mere humana; cum illi perpetuo adfuturus sit promissus Spiritus sanctus, et qui eam audierit, auditorus Christum dicatur.

Ad 3^{am} R. AUG. sententiam tum ex allatis nuper testimoniis, tum ex particula fere hic inserta, non pertinere ad universam Scripturam.

Inst. 2. Deus promisit et testatur intelligentiam Scripturarum sine magisterio humano; siquidem ISA. 54. v. 13. habetur: *Dabo omnes filios doctos a Domino*; et JEREM. 31. v. 34. *Non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum... omnes enim cognoscent me a minimo usque ad maximum*; ac 1. Joan. 2. v. 27. *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus: manete in eo.* Ergo.

R. N. Ass. Textus ISAIÆ si cum Cyrillo intelligatur de doctrina Evangelii, indicat hanc non jam per Prophetas sed per ipsum Filium Dei proponendam Judæis; Si cum AUG. exponatur de gratia divina, significat Spiritum sanctum interius persuasurum id, quod magister exterius proposuerit faciendum; quem postremum sensum ipse Dominus Joan. 6. v. 45. declarat: *Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei: omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.* Textus JEREMIÆ per hyperbolen docet cognitionem Dei in N. T. fore familiarem, et clariorem uberioremque, quam in V. T. fuerat; instructionem autem humanam sive de hoc sive de aliis fidei